



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Defenditur & explicatur testimonium è Gen. 49. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

dem, at nondum venisse eum contendunt; XIV. quos inter precipui sunt, qui Echnalotarcham Juda prognatum Judeis bodieque præesse affirmant: XV. tum R. Bechai, qui Messias duos à Jacobo prædictos affirmat, quorum alter fuerit Moses, alter nondum advenit: XVI. & qui vocibus שבט, Sceptrum, & מלך, Dux, tyrannicum & crudele imperium in se passim exerceri solitum prædici putant; & qui, שבט, hic Tribum sonare opinantur: XVII. quique Jacobum non id sibi velle censent, fore ut Israëlitis Reges de tribu Juda semper præsent, sed ut non alii quam hac tribu orti præsent: XVIII. & qui prophetiam hanc <sup>verbum</sup> esse statuunt: XIX. quique ita exponunt, Judeis defensores nunquam defuturos: XX. & qui ita, Tribum Juda ex hominum commercio nunquam iri segregatum ut decem tribus. XXI. Refelluntur deinde Judæi, qui hoc oraculum ad Messiam ullo modo pertinere negant; ac ii primum qui referunt ad urbem Silob, & ad Davidem: XXII. tum ii qui ad Saulem; XXIII. & qui ad Feroboamum; XXIV. & qui ad Nabuchodonosorem. XXV. Cur hanc Jacobi prædictionem, aliasque complures ad Messiam pertinentes, Christus, Apostoli, & Evangeliste in testimonium non protulerint.

I. **E**X omnibus, quæ in Scriptura sacra venturi Christi præsentia extant, oculis, ut splendidum in primis ac illustre, ita controversiis etiam & disputationibus vexatissimum illud est, quod Judæ filio moriens Jacob edidit, cum ceteris quoque filiis futuros rerum exitus panderet: *Juda, inquit, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leona; quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine urve pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Venturi Messie prædictionem his inesse constans est & perpetua Christianorum omnium opinio. Idem quoque prætorum Judæorum arbitrium fuit. Verum inter utrosque id discriminis interest, quod nondum exitum habuisse vaticinationem hi existimant; illi in Christo Jesu fuisse completam certissime credunt. At recentiores Judæi nova doctrinæ suæ jam labascentis ac conviciæ colligentes præsidia, & Christianorum argumenta declinare conantes, alio clarissimi oraculi deflexerunt sententiam, ullamque Messie prædictionem his contineri præfractæ negarunt. Nos hic illorum, vetustiorumque Judæorum, & si quorum par insanitas est, vanitatem oppugnabimus.

II. Quod ut ordine fiat, præcipuæ primum & magis probabiles exponendæ sunt nostrorum Interpretum sententiæ; quibus diligenter excussis nostram deinde subjiciemus; ac Judæos demum veritati officias præterdere studentes refellemus. Cum multæ sint à Christianis excogitata vaticinii hujus interpretationes, tum quinque occurrunt, vel plerumque roboratæ consensu, vel similiores veri. Prima statuit semper à tribu Juda extitisse principes, donec Christus Jesus advenerit: non ergo postremum Sedeciam à tribu Judæ sceptrum gessisse, sed transiisse illud ad ipsius posterum, atque in eadem hac tribu ad Christum usque per Assamonæos perseverasse, quorum suprema inter Judæos potestas erat: his autem ab Herode sublati, à quo & regnum Judaicum usurpatum est, tum una defecisse sceptrum de Juda: Assamonæos porro quamvis paterno genere Levitæ essent, per matres tamen Juda esse prognatos: conjugatas quippe per matrimonia fuisse tribus Levi & Juda, atque id ex sexto capite Exodi probari, in quo Aaron Aminadabi filiam duxisse uxorem legitur, & ex vicissimo secundo libri Paralipomenon posterioris, in quo Joiada Pontifex filiam Jorami régis in matrimonio narratur habuisse.

Hujus doctrinæ antesignanus Origenes plerisque à Patribus sequaces habuit. Verum valide obtrita ea est à viris eruditis, quorum in propatulo scriptiones sunt, neque nunc à nobis eas compilari decet. Paucis tantum dicam eam aperte à Jeremia jugulari, cujus de Jechonia insigne illud extat oraculum: *Hæc dicit Dominus, Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Adde & juxta Thalmudicum scitum nullo numero maternam stirpem censer. Arbitrantur

Defenditur & explicatur testimonium Gen. 49. 10. Gen. 49. 8, & seq.

Præcipua magisque recepta præsentia nostrorum Interpretum super hoc loco sententiæ, & consulantur. Prima.

Origen. Hom. 17. in Gen. 1er. 22. 30.